

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

§. VIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

to, *victimae adolitae sic appellabantur, non quod proprie id nomen ipsis conueniret, sed quod substituerentur, pro eo sacrificio, quod DEO gratum est, & quod Deo placeret fides, nitens eo sacrificio, & confessio gratiae DEI, & glorificatio Nominis eius. Tametsi enim victimae darent odorem, aut nitorem, tamen non erant Deo odor acquiescentiae, & placationis irae (nisi ipse Messias hoc praestiterit,) est enim ריח ניחוח proprie ריח מניח חמת יהוה odor faciens quiescere iram DEI.*

§. VIII. Ab hominum moribus, haec desumpta phrasis, ad Deum applicata est. Nihil quippe hominum animos, magis turbat, & commouet, quam ira, adeo, vt totos eos reddat inquietos, & turbulentos. Ira & vindictae cupido incitant & stimulant animum, sine intermissione, ad viam & modum, vlciscendi laesionem indagandum, ne malum illatum incassum ferat. Quando autem homo placatur, & reconciliatur, desinit status antea satis turbulentus, vt nunc, quem alias taedio fugit, beneplacito suscipiat. In Deo quidem, nulla est perturbatio, nullaque datur *ἀταξία*; secundum nostrum tamen concipiendi modum, phrasis a

motibus & affectibus hominum petita, ad Deum adplicatur, remota omni imperfectione, quam alias inuoluere solet. Nam quando Deo ira tribuitur, nullam in eo designat mutationem, quippe qui semper, & in infinitum vnus idemque est, ac manet. Quidnam vero Spiritus S. hisce locutionibus indicare voluit? Gaudium puta iustitiae diuinae, vindicandi impietatem, quo peccatores istam offenderunt, & alacritatem in infligendis suppliciis. Id vel ex *Deut. XXXIX. 63.* apertissime constat, vbi gaudium perdendi immorigeros, opponitur gaudio beneficiendi. Hinc saepius vbi de ira sermo est, additam statim inuenies, explanationis gratia, mentionem de vltione. vid. *Nab. I. 2.* AVGVSTINVS: \* *Cum DEVS irasci dicitur, non eius significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis; sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta eius, quae non nisi iusta est, irae nomen accepit.* Ita DEVS non dicitur ab ira quiescere, quemadmodum homines, sed modo, qui Deum decet, hoc intelligendum est; idem est, ac si dixisset, vindictam exsequi desistit, & poenas

---

\* In Enchiridio ad Laurent. c. 33.

poenas infligere cessavit, irae loco gratiam exhibet, & oblectatur nunc iis, quos alias tanquam hostes propellebat. Id quod ulterius patet, quando DEVS in contrarium testatur *Leu. XXVI. 31. odorem vestrae fragrantiae, non odorabo*, i. e. eis non oblector, non accipiam, neque gratiam exhibebo.

§. IX. De praedicatione euangelii eiusque ministerio, per quod Iesus crucifixus, cum merito & reconciliatione peccatorum cum Deo irato, manifestatur, quod sit *ἑὐωδία χριστοῦ*, Christi fragrantia bona Deo, odor nempe suauitatis, gratus & acceptabilis, Paulus loquitur *II. Cor. II. 15. χριστοῦ ἑὐωδία ἔσμεν τῷ Θεῷ ἐν τοῖς σωζομένοις καὶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις. οἷς μὲν, ὁσμή θανάτου εἰς θάνατον. οἷς δὲ ὁσμή ζωῆς εἰς ζωὴν. Christi sumus fragrantia Deo, in iis qui saluantur & in iis qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem: illis vero odor vitae ad vitam.* Nulla e Paulinarum epistolarum numero certe datur, in qua articulum de euangelii doctrina eiusque ministerio, fusius & solidius, tanquam in propria sua sede tractet apostolus, quam haec posterior ad Corinthios scripta. In